

# ” De iustitia et iure ”

(Manuscrito de Fr. Juan de Guevara, O. S. A.,  
siglo XVI)

POR  
BONIFACIO DIFERNAN, O. S. A.

XV (\*)

Ad 1<sup>m</sup> argumentum respondetur quod sicut in speculativis id quod est per se tanquam existens de definitione et essentia rei omnino est inmutabile sicut haec propositione, homo est animal rationale. Id vero quod est per se tamquam passio ipsius rei est quidem inmutabile secundum naturam, mutabile vero, secundum potentiam divinam ut quid homo sit risibilis denique id quod est per se tamquam actus conveniens rei secundum suam naturam sicut dicimus lapidi per se convenire motum deorsum potest tamen naturaliter impediri ita in moralibus licet ea quod sunt iuris naturae sint per se possunt tamen aliquando mutari secundum modum explicatum. Ad 2<sup>m</sup>. argumentum concedimus omnia praecepta decalogi esse indispensabilia et inmutabilia hoc autem non est contra nos, quin potius asertum est a nobis in 1.<sup>a</sup> propositione. Ad 2<sup>m</sup> argumentum concessa maiori negatur minor ad probationem respondetur quod ad ius naturale non solum pertinet reddere depositum quando et ubi oportet sed etiam reddere depositum absolute et quia hoc est muta-

(\*) Véase ARCHIVO AGUSTINIANO, septiembre-diciembre, 1956, págs. 316-342.

bile asserimus ius naturale aliquando esse mutabile. De iure positivo quidnam sit respondeatur ius positivum est quod non colligitur ex principiis naturae neque per consequentiam evidentem neque per probabilem sed tamen habetur ex humana voluntate et constitutione sicut quod fures sint suspendendi unde Aris. 5 ethi. cap. 1. sic definit ius positivum: ius positivum est quod antequam ponatur nihil refert sic vel aliter at postquam positum est multum refert hoc est antequam statuatur per legem triticum non vendi nisi octo argenteis nihil refert pluris aut minoris vendi at postquam statutum est multum refert. Circa solutionem ad 3, notandum quod si exacte velimus dividere ius sic dividendum est ius aliud divinum aliud humanum rursus ius divinum aliud naturale aliud supernaturale naturale ut praeceptum de honorandis parentibus et alia decalogi. ius divinum supernaturale rursus est duplex, alterum quod est ex ipsa natura rei supposito ordine supernaturali ut praeceptum fidei spei et charitatis, supposito enim quod Deus hominem ordinaverit in beatitudinem tamquam autor gloriae et gratiae ex ipsa natura rei consequitur ut teneamus illi credere et in eum sperare et eum diligere, ius vero supernaturale positivum est ut praeceptum baptismi et praecepto aliorum sacramentorum isto, ergo pacto dividitur ius divinum. Ius autem humanum aliud est ius gentium quod est commune omnibus hominibus aliud est particulare quod convenit uni regno vel reipublicae rursus ius particulare aliud est canonicum quod est in ordine ad gubernationem ecclesiasticam et spiritualem, aliud est civile quod est in ordine ad gubernationem temporalem.

**Artus 3<sup>us</sup>. An ius gentium sit idem quod ius naturale**

Supposita distinctione 1.<sup>a</sup>, conclusio ius gentium est idem cum iure naturali quod consequitur ex ipsa natura

rerum secundum se et absolute consideratarum. 2.<sup>a</sup> conclusio dicitur a iure natura quod consurgit et natura rerum, quod considerantur in ordine ad aliquem finem vel circumstantiam pro explicatione hujus articuli notandum quod cum ius dividatur in ius naturale et positivum ut visum est articulo praecedenti difficultas hujus articuli est ad quod horum sit reducendum ius gentium et quoniam S. Thomas in hoc arg. non aperte respondet ad hoc imo nec verbum facit de iure positivo ideo dubium est principale an ius gentium sit ius positivum, et videtur quod non, primo ex S. Thoma in hoc articulo ubi dividit ius naturale in id quod est secundum absolutam rerum considerationem et id quod est secundum considerationem rerum per ordinem ad aliquid aliud, et hoc secundum considerationem rerum per ordinem ad aliquid aliud, et hoc secundum, appellat ius gentium, ex hoc arguitur divisum debet praedicari de quolibet membro dividentium, ergo ius gentium est ius naturale. Item S. Thomas 5 ethi. cap. 1 lectione 12, ait quod in illa divisione Aris. qua dividitur ius in naturale et positivum ius gentium includitur in iure naturali 2.<sup>o</sup> arguitur ex lege veluti FF. de iustitia et iure ubi iurisconsultus Pomponius ait religionem erga Deum et quod parentibus et patri sit obediendum pertinere ad ius gentium certum autem est ista esse de iure naturali ergo ius gentium est de iure naturali idem argumentum fit ex lege ut vidimus FF. eodem titulo, ubi dicitur propulsare iniuriam est de iure gentium et tum hoc etiam est (Folio 71) de iure naturali ergo 3.<sup>o</sup> id quod colligitur tanquam conclusio ex principiis iuris naturalis pertinet ad ius naturale sed ius gentium est ejusmodi, ergo consequentia, patet major patet tum ex dictis articulo praecedenti tum etiam ex S. Thoma, 1.<sup>a</sup>, 2.<sup>o</sup>, q. 95 ar. 2. quod etiam probatur rationem, quia sicut id quod colligitur tanquam conclusio ex principiis physice pertinet ad physicam ita etiam quod colligitur ex principiis iuris naturae pertinet ad ius na-

turae minor est expressa in S. Thoma 1.<sup>a</sup>, 2.<sup>a</sup>, q. 95 ar. 4. probatur etiam ratione quod inter homines sint emptio-nes et venditiones iuste pertinet ad ius gentium nam omnes contractus sunt de iure gentium et unde hoc col-ligitur ex principiis naturae tanquam conclusio hoc pacto homo est animal sociabile societas autem non potest inter homines conservari absque emptionibus et venditionibus iustis, ergo debent esse inter homines emptiones et venditiones idem argumentum potest fieri de divisione rerum quae cum aperte sit ex iure gentium colligitur tamen tanquam conclusio ex principiis natu-rae est illud quod ex ipso naturae instinctu reperitur in omnibus hominibus bene institutis sed ius gentium est ejusmodi ergo ius gentium est ius naturale consequentiae cum majori, patet, minor probatur quoniam divisio rerum et quia legati in bello sint innoxii est de iure gentium et hoc reperitur inter omnes homines. Confirmatur, ideo fornicatio est contra ius naturae quia si illa esset licita sequerentur in republica gravissima imcommoda sed si ius gentium violaretur sequerentur etiam gravissima in-commoda in republica ergo ius gentium est ius naturae 5.<sup>o</sup> arg. si ius gentium non est ius naturale ergo est positivum consequens est falsum ergo et antecedens, sequela est aperta falsitas consequentis probatur dupli-citer 1.<sup>o</sup> ius positivum constituitur per hominum con-ventionem ad constituendam aliquam legem sed ad ea quae sunt de iure gentium nunquam homines convenerunt ergo ius gentium non est ius positivum. 2.<sup>o</sup> probatur falsitas consequentis, si ius gentium est ius positivum, sequitur quod possit per voluntatem principis abrogari saltem ita quia factum teneat licet princeps peccet abrogando, con-sequens est falsum, ergo et antecedens, sequela probatur, lex qua taxatur pretium tritici potest abrogari per volun-tatem principis ita quod licet ille peccet abrogando legem quia forte esset necesarium esse talem legem in republi-ca, tum si faciat factum tenet et qui postea pluris vendat

triticum, non peccat, et ratio est quia est ius positivum ergo si ius gentium est positivum poterit abrogari, falsitas vero consequentis patet manifeste non potest princeps modo tollere a me propria mea et facere quod omnia sint communia nec factum teneret si id velit facere aut faciat, in opositum est auctoritas S. Isidoris lib. 5 ethimo. cap. 4, ubi dividit ius in naturale civile et gentium, tanquam in membra opposita et habet haec auctoritas in decreto d. 1. cap. ius autem.

Per hujus dubii explicatione notandum 1.<sup>o</sup> esse communem opinionem iurisperitorum quod ius gestium est idem cum iure naturali in re quam ut docet S. Thomas 5 ethi. cap. 1.<sup>o</sup> lectione 12. iurisperiti id tamen appellant ius naturale quod est comune omnibus animalibus tam hominibus quam brutis uti coniunctio maris et feminæ illud autem appellant ius gentium quod est proprium homini et est commune omnibus hominibus etiam si illud sit ex naturali inclinatione hominis, quare apud illos, honorare parentes et omnia præcepta decalogi, sunt de iure gentium, et cum hoc aperte sit ius naturale fit ut ius gentium et ius naturale sint idem apud illos in re.

2.<sup>o</sup> est notandum quod ius gentium est medium quodam inter ius mere naturale et ius mere positivum ex quo sequuntur duo: 1<sup>m</sup>. est quod auctores, ius gentium aliquando referunt ad ius naturale aliquando vero ad ius positivum patet ex S. Thoma qui hic videtur ius gentium ad ius naturale et similiter, 5 ethi. loco citato et tum alibi ut dicimus refert illud in ius positivum. 2.<sup>o</sup> sequitur quod cum sit medium participat naturam extreborum et dicitur ab illis et simul etiam convenit cum illis in aliquibus igitur ius gentium convertit cum iure naturali in duobus 1<sup>m</sup>. est quod sicut ius naturale est commune omnibus hominibus, ita etiam ius gentium 2<sup>m</sup>. est quod sicuti ius naturale obligat universos homines absque aliqua lege scripta ab homine ita et ius gentium et in his in quibus convenit cum iure naturali dicitur a iure mere positivo, nam ius mere

positivum non est commune omnibus hominibus sed est particulare regno aut reipublicae, item etiam ius positivum non obligat nisi lege data, sed rursus ius gentium convenit cum iure positivo in aliis duobus. 1.<sup>o</sup> in hoc quod sicut ius mere positivum pendet ex humana voluntate ita etiam ius gentium nam divisio rerum per humanam voluntatem facta est et inde ut existimo dicitur ius gentium quia fit per voluntatem gentium sicut ius positivum dicitur quia ab hominibus est positum ius autem naturale non fit per gentium voluntatem sed ab ipso naturae auctore datum est hominibus unde sequitur quia sicut ius positivum potest abrogari ita etiam ius gentium potest abrogari saltem ex parte probatur divisio rerum est de iure gentium et tamen in primitiva ecclesia omnia erant communia inter fideles et modo inter religiosos omnia sunt communia similiter quod capti in bello iusto sint servi capientium est de iure gentium et quoniam inter christianos abrogatum est nam christianus captus a christiano non est ejus servus. 2.<sup>o</sup> convenienter ius gentium et ius mere positivum quia sicut ius positivum derivatur a iure naturali ita etiam ius gentium, sed diversimode nam ius positivum derivatur a iure naturali per modum determinacionis ipsius iuris naturalis, ius vero gentium derivatur per modum conclusionis illatae, v. g. quia fures puniantur flagris est ius positivum et derivatur ab hoc principio naturali, malefactores sunt puniendi hoc modo malefactores sunt puniendi et placet reipublice quia puniantur hoc modo punitionis nam aliis modis poterat puniri sed respublica determinat hunc modum, ergo fures sunt puniendi hoc modo at ius gentium colligitur per modum conclusio-  
nis, hoc pacto, agri sunt colendi ad humanam sustentationem et non possunt commode coli nisi per rerum divisionem ergo divisio rerum facienda est (sic) ecce minor propositio non est tamen determinatio ex humana voluntate sed est medium necessarium ad illum finem unde illud colligitur tanquam conclusio ex premissis, (72 sed

notandum est quod aliquid colligi tanquam conclusio ex premissis naturalibus stat dupliciter 1.<sup>o</sup> ex ipsa habitudine rerum secundum se et absolute ut quod depositum non sit detinendum colligitur ex hoc quod nulli est inferendum malum et ejusmodi conclusio pertinet ad ius naturale alio modo stat inferri tanquam conclusio ex principiis naturalibus non ex ipsa habitudine rerum absolute sed ex rebus consideratis in ordine ad aliquem finem nempe in ordine ad utilitatem et commoditatem reipublicae sicuti quod res sint dividenda colligitur ex natura rerum prout ordinantur in cultum agrorum et humanam sustentationem et ejusmodi conclusio proprie est ius gentium. Respondetur ad dubium conclusio quamvis ius gentium possit aliquo pacto reduci ad ius naturale tamen proprie et absolute loquendo est ius positivum. Ista conclusio, quoad priorem partem probatur ex dictis quam ius gentium est quoddam medium inter ius naturale et positivum, unde potest reduci ad utriusque extremum quoad posteriorem partem probatur 1.<sup>o</sup> ex S. Thoma in hoc articulo licet enim non expresse illud asserat, tamem cum faciat argumenta ad probandum ius gentium esse ius naturale et respondeat his argumentis aperte indicat suam sententiam esse quod ius gentium sit ius positivum sed expressius illud habet 1.<sup>a</sup>, 2.<sup>a</sup> q. 95 ar. 4. ubi dividit ius positivum in ius gentium et ius civili hujus sententiae est Turrecremata super cap. ius autem 1.<sup>a</sup> dtio idem tenet Soto lib. 3. de iustitia et iure q. I. ar. 3. Ratione probatur ius naturale es illud quod secundum se et absolute habet bonitatem sed ius gentium non est hujusmodi ergo non est ius naturale consequentia nota maior probatur inductive in omnibus quae sunt de iure naturali in pracepto de honorandis parentibus et in aliis omnibus minor probatur ius gentium habet bonitatem solum considerando res per ordinem ad aliquem finem et circunstancias ut consideramus agrum per ordinem ad utilitatem fructum et

inde oritur divisio rerum ergo non habet bonitatem absolute.

Confirmatur ius naturale est necessarium absolute et absque ulla facta suppositione at ius naturale est necessarium supposita natura corrupta, nam in natura integra omnia essent communia neque essent alia quae sunt de iure gentium, item probatur quoniam conclusiones quae elicuntur ex iure naturali pertinentes ad ipsum ius naturae sunt ita necessaria ut sine illis non possit ullo pacto conservare ius naturale etiam si omnes servarent ius gentium at vero conclusiones quae pertinent ad ius gentium non sunt absolute necessariae ad conservandum ius naturale sed sunt multum commode ita ut sine illis non posset bene conservari ius naturale v. g. si servarent homines praecepta naturalia etiam si tollatur divisio rerum et alia quae sunt de iure gentium posset conservari politia humana quamvis non ita commode. Ad primum arg. resp. S. Thomas aliquando reducere ius gentium ad ius naturale ratione dicta tamen absolute et simpliciter tenet esse ius positivum ut ostendimus. Ad 2<sup>m</sup>. arg. ex auctoritate iurisconsultorum respondetur iam dictum est esse sententiam illorum quia ius gentium non differat re a iure naturali at theologi, aliter philosoph (i). 2.<sup>o</sup> respondeatur hoc vocabulum ius gentium est equivocum aliquando accipitur pro iure quod convenit solum gentibus quamvis non fiat per voluntatem ipsarum gentium et hoc pacto est idem cum iure naturali atque ad hunc modum loquuntur iuristae alio modo accipitur ius gentium pro eo iure quod fit et dependet per voluntatem gentium et non est tributum ab ipso creatore naturae et ipso pacto pertinet ad ius positivum et ad hunc modum loquuntur theologi de illo. Ad 3<sup>m</sup>. arg. resp. distinguendo maiorem, conclusio quae elicetur ex principiis naturalibus pertinet ad ius naturale, distingo, si elicetur ex ipsa habitudine intrinseca rerum concedo maiorem, et tunc nego minorem, quia ius gentium sit huiusmodi. Si autem eliciatur ex ipsa natura re-

rum in ordine ad finem et circunstantias negatur maior, istarum iam sunt explicata. 2.<sup>o</sup> resp. distinguendo etiam maiorem si eliciatur tanquam conclusio necessaria simpliciter sine qua non possit conservari politia humana concedo maiorem sed nego minorem si autem eliciatur sicut conclusio sine qua non ita commode possit conservari politia humana nego maiorem.

Ad 4<sup>m</sup>. resp. iisdem verbis quibus ad 3.

Ad confirmandum respondetur in convenientia quae sequentur ex simplici fornicatione si esset licita sunt adeo magna ut nullo pacto posset conservari politia humana at inconvenientia quae sequuntur ex iure gentium sublato non sunt adeo magna ut subinde tollatur humana politia quamvis tollitur commoditas bonae gubernationis.

Ad 5 arg. respondeo concedendo sequelam quam ius gentium sit ius positivum. Ad 1 probationem in opinionem, respondeo ad constituendum ius gentium non est necessarium convenire universos homines sed satis est universos homines voluntate quadam interpretativa consentire his quae sunt de iure gentium propter propinquitatem quam habet cum iure naturali et in hoc diximus esse convenientiam inter ius naturale et gentium quia utrumque obligat absque lege lata ab homine. Ad 2 probationem respondetur quod si universi homines consentirent in abrogatione iuris gentium factum teneret quamvis pactum esset gravissimum sicuti si omnes homines hujus regni convenirent in abrogandis legibus et iure civili factum teneret quamvis esset pactum imo vero etiam sine sensu universorum hominum ex parte saltem abrogari potest ius gentium et abrogatum est ex causa rationabili ut diximus in primitivam ecclesiam fuisse ubi omnia erant communia et de christianis captis in bello christianorum imo etiam ex causa posset rex aliquando in bello occidere legatum alterius regis quamvis inmunitas legatorum sit de iure gentium. Nihilominus princeps reipublicae non potest

pro sua voluntate absque subditorum consensu abrogare ius gentium quoniam facta divisione rerum non potest aliquis auferre a me bona mea me invito nisi sit ex qua poterit.

#### **Ar. 4 an convenienter dividatur ius in paternum et dominativum**

Ad hujus expositionem supponendum est, 1.<sup>o</sup> pro ipso iusto et aequo quod in rebus invenitur ad quod in operationibus quae sunt ad alterum potissime respiciendum est idecirco vocatur objectum iustitiae circa quod haec virtus versatur et quod in ipsis rebus constituit alio modo dicitur ius ipsa ratio interius dictans atque proponens (73) id quod iustum est quae se habet ad ius primum sicut regula ad regulatum propter quod ordine naturae prius est ius 2<sup>m</sup>. 1<sup>m</sup>. sicut mensura prior est mensurato et regula regulato at ordine cognitionis et operationis prius est iustum in rebus quoad nos et ideo ius proprius dicitur de ipso iusto quam de regula.

2.<sup>o</sup> est supponendum quod ad iustum simpliciter duae conditiones requiruntur.

1.<sup>a</sup> quod sit inter duo extrema realiter diversa; nam aequalitas in qua potissimum consistit ratio iusti cum sit relatio non potest nisi inter duo extrema reperiri. 2.<sup>o</sup> exigitur quod haec duo extrema sint ejusdem ordinis aut certe ejusdem proportionis alioquin non potest inter illa duo constitui aequalitas perfecta defectu 1<sup>ae</sup> conditionis hominis ad se ipsum non est proprie ius eo quod non est pluralitas extermorum sed tamen sicut unitas est prior numero et mensura illius sic obligatio hominis ad se ipsum maior est quod ad alterum et debet esse regula illius sicut patet in pracepto de dilectione proximi quod est principium et finis iustitiae unde sequitur quod qui occidit se ipsum licet non violet iustitiam gravius tamen peccat quod si occidisset quem libet alterum.

Defectu 2.<sup>ae</sup> conditionis hominis ad Deum non est proprius ius sed aliquid maius iure eoque propter excellentiam divinae naturae extrema non sunt ejusdem ordinis quam propter neque potest reddi aequale simpliciter quod insinuat Isaías 40, Cum potest enarratam divinae naturae celsitudinem adiecit cui ergo ad-similastis et adequastis me dicit sanctus.

3.<sup>o</sup> est supponendum quod ius secundum quod est ratio iusti idem est pressius? quod lex, ac proinde eadem omnino divisione partitur et quam lex omnis ad iustum et aequum ordinatur, ideo utrovis modo ius accipiat eadem ratione dividi potest, dividitur ergo ius 1.<sup>o</sup> in naturale et supernaturale, 1<sup>m</sup>. dicitur illud quod est naturae consenteatum, 2<sup>m</sup>. est id quod cujusque naturae creatae superat facultatem et haec divisio praecipue sumitur ex parte finis naturale siquidem disponit hominem ad felicitatem naturalem et componit ejus vitam secundum naturalis luminis regulas, super naturale vero disponit ad aeternam beatitudinem et componit vitam secundum participacionem divinae gratiae nunc autem fusse accipitur naturale ut comprehendat omnia quae naturae humanae consentanea sunt dividitur itaque 2.<sup>o</sup> ius naturale in id quod est ad ipsa natura perfectum nempe quod ex principiis naturaliter notis evidentissime ducitur et hoc vocatur ius naturale proprio quod enim isto modo iustum est ab ipsa natura praefinitur absque hominum constitutione aliud est ius positivum quod humana constat ad inventione. 3.<sup>o</sup> dividitur ius positivum in ius gentium et ius legale. Ius gentium vocatur quod ex principiis naturae per certam collectionem ducitur ad aliquem finem necessarium non ipsi naturae secundum se simpliciter sed propter defectum aliquem incidem. Jus autem legale deducitur a principiis naturae non per modum certe collectionis sed voluntarie determinationis sicut distinguendos esse status reipublicae natura dictat sed quod tali veste utantur clerci et tali laici voluntate humana constituitur et ideo dicit Aristot. 5 eth.

cap. 1. quod iustum legitimum a principio nihil diferebat.  
 4.<sup>o</sup> dividitur ius legitimum in ius canonicum et ius civile  
 quae divisio atenditur ex origine atque adeo ex fine nam  
 civile ortum habet a temporali potestate quia invenitur in  
 qualibet republica perfecta ordinatumque ad conservan-  
 dum temporel bonum, at canonicum ortum habet ex  
 spirituali potestate quae solum invenitur in ecclesia catho-  
 lica ubi solum est sacerdotium ordenatque ad disponen-  
 dum homines ad spiritualia bora et ad ea conservanda et  
 promovenda. De his iuris divisionibus aliter differunt  
 theologi alii iurisperiti nam illi universaliter inquirunt  
 quoisque legum obligatio praestigat conscientias propter  
 quod de iure naturali acutius inquirunt at iurisconsulti  
 docent in particulari ea quae singulis legibus decernuntur.  
 Ultima divisio est praesenti art. necessaria ius legitimum  
 dividitur in ius perfectum et diminutum aliud est ubi re-  
 quisitae condiciones perfecte inveniuntur istud vero ubi  
 deficiunt et hoc diminutum dividitur in paternum et domi-  
 nativum et oeconomicum ad. q. ergo propositam respon-  
 diit S. Thomas duabus conclusionibus 1.<sup>a</sup> inter patrem et  
 filium non est ius simpliciter sed diminutum quod dicitur  
 paternum, similiter nec inter dominum et servum sed quod  
 vocatur dominativum 2.<sup>a</sup> conclusio inter uxorem et virum  
 magis potest ius inveniri quod inter praecedentes, nec  
 tamen est iustum simpliciter sed oeconomicum circa con-  
 clusionem 1.<sup>a</sup> et solutionem.

Ad 2.<sup>um</sup> notandum quod inter patrem et filium duo ge-  
 nera officiorum genera versantur alterum est ipsis pro-  
 prium quatenus alter procedit ab altero ratione cuius pa-  
 ter debet filio educationem et institutionem filius vero pa-  
 tri honorem atque obedientiam et quantum ad hoc genus  
 non est inter eos vel iustitia vel ius simpliciter sed que-  
 dam virtus superior quae vocatur pietas, ex qua major  
 procedit obligatio quam est communi iustitia et ex conse-  
 cuenti gravius peccat qui sustrahit officia debita ex pietate  
 quam si ex sola iustitia deberentur, hinc est quia

praeceptum pietatis quod est 4<sup>m</sup> decalogi, medium est inter religionem quae est ad Deum et inter communem iustitiam quae est ad proximos at quam non eadem obsequia debentur ex parte utriusque extremi idcirco invenitur disparitas criminis etiam respectu ejusdem actionis nam gravius peccat filius si percutiat patrem quam patrem percutiendo filium et ex opposito gravius peccat pater si de necessariis non provideat filio aut si non instruat ipsum quod si filius eadem officia negligat erga patrem. Alterum genus officiorum est commune sibi aliisque civibus sicut contractus societatis et emptionis aliisque civiles in quibus quod tamen ad substantiam est simpliciter iustitia nam et diversitas invenitur et aequalitas in his constitui potest simpliciter si enim pater vendat triticum vel oleum non minus potest reddi iustum pretium a filio quam ab extraneo et ex communi iustitia debetur in talibus restitutio. Certum ex ipsa coniunctione originis quod semper in his suppositis manet oritur quaedam circumstantia pietatis ratione cuius diminuitur aliquo modo ratio iuris, et ita convenire possunt quae videntur diversae opiniones Caietani et Soto et si contra arguas si sequeretur quia minus peccaret filius si pretium substrahat patri eo quod sicut qui est idem cum persona ita sibi potius videtur substrahere quod alteri quia quodammodo est idem cum persona patris. Respondeatur quod licet ex parte diversitatis minuatur ratio iusti tamen ex circumstantia pietatis crescit ratio debiti et ideo quando filius omnino extra curam parentis est gravius peccat omnibus penitatis (74) si a patre furetur, at quando est sub cura paterna et substrahit ad eos usus ad quod pater providere tenetur minus peccat.

Circa 2 conclusionem notandum 2.<sup>o</sup> quod inter patrem et filium ex una parte et uxore et virum ex altera differentia est quia pater comparatur ad filium sicut totum ad suam partem. Vir autem et uxor sic se habent quia nullus est pars alterius sed convenienti sicut diversae partes ad inte-

grandum unum principium integrum generationis et domesticae vitae et quia distinctio maior est unius partis ab alia parte quam partis ad totum, idcirco maior diversitas invenitur inter uxorem et virum quam inter patrem et filium quia tamen convenient in una ratione principii ideo quantum ad officia coniugalia et necessario consequentia non versatur inter eos iustitia sed pietas quantum ad alia vero civilia commercia etiam potest inveniri iustitia cum sua tamen circumstantia diminuente ut diximus.

### **Q. 58 ar. 1.<sup>o</sup> - An definitio iustitiae sit optima**

Conclusio affirmativa.

In hoc art. not. 1.<sup>o</sup> circa definitionem iustitiae quid facile hoc modo quattuor ejus termini declarabuntur virtus iustitiae est voluntas hoc est habitus voluntatis quo secernitur ab iis habitibus quos natura impressit et ab illis qui sunt in alia potentia a voluntate perpetua non importat incorruptam actus continuationem sed preparationem animi perpetuam nunquam deserendi iustum. Quod vero dicitur constans designat modum operandi ut non ex accidenti et variabili affectu qui pravis et iniustis potest accidere sed ex firma inmotaque determinatione voluntatis procedat iusta operatio reddendi suum ius Reddere ius generaliter est accipendum ibi ut comprehendat non solum reddere ius per modum dirigentis et imperantis quod legislatori convenit et iudici verum et per modum exsequenter quod privatis civibus potest esse commune.

Circa solutionem. Ad 2<sup>m</sup>. observandum est quod rectitudine tripliciter potest invenire in activis humanis 1.<sup>o</sup> tanquam in principio regulante et dirigente et sic invenitur in ratione practica decernente quod iustum est et quamvis ratio cuiusque sit 1.<sup>a</sup> regula intrinseca tamen omnis ejusmodi participatio quaedam, est legis aeternae quae es

essencialiter ipsa rectitudo. 2.<sup>o</sup> invenitur in primo regulato quod est principium proximum recte operationis et sic est in iustitia quae est virtus voluntatis et quodammodo media inter intellectum regulantem et opus externum in quo rectitudo ipsa consumantur, et ita in actu exteriori. 3.<sup>o</sup> modo invenitur rectitudo quasi in effectu et participatione tamen v. g. cum cogito de reddenda mercede meretriciis, prius est cogitatio praemiandi, 2.<sup>o</sup> quando voluntate eligo praemium et 3.<sup>o</sup> cum dono. Cum ergo Anselmus ait dialogo de veritate cap. 13 quod iustitia est rectitudo intelligendum quod est rectitudo participata et a ratione et causa ejus quae in opere ad alterum inveniuntur.

### Ar. 2 an iustitia sit ad alterum

1.<sup>a</sup> conclusio iustitia proprie loquendo non est nisi unius hominis ad alterum. 2.<sup>o</sup> conclusio iustitia metaphorice potest esse ejusdem hominis ad se ipsum. Circa 1<sup>m</sup> conclusionem est advertendum ita requisitam esse pluralitatem suppositorum ut iustitiae ratio inveniatur quia ea sola non sufficit nisi aliud, praeterea superveniat nempe quod utriusque extremum sit capax rationalis aequalitatis nam inter duos aequos quamvis sit specifica identitas diversitasque suppositorum non habet locum iustitia ut neque inter hominem et aequum propter hujus conditionis defectum neque in his per comparationem ad res ipsas irrationales potest esse iustitia, sed solum per comparationem ad hominem cuius dominio traditae sunt, at inter hominem et angelum potest ratio iustitiae inveniri quamquam sit generis diversitas eo quod sunt partes ejusdem reipublicae maxime quia per gratiam ad eamdem caelestem politiam vocantur et futuri sunt homines sicut angeli De Math. 23. Sed contra sequitur quod satisfactio proprie non fuerit opus perfecte iustitiae nam qui satisfaciebat non erat penitus diversus ab eo cui fiebat satis-

factio cum etiam satisfaceret sibi ipsi. Confirmatur quia etiam deerat 2.<sup>a</sup> conditio nam homo qui satisfaciebat minor erat Deo cui dirigebatur satisfactio.

Respondeatur quod secundum utramque conditionem perfectissima ratio iustitiae invenitur ibidem nam persona Filii secundum humanam naturam operabatur Deus trinitas excipiebat satisfactionem ubi manifesta diversitas invenitur operationum et suppositorum quamvis satisfactio comparata ad persona Filii solum haberet operationum diversitatem sed sicut dictum est satisfactio non dirigebatur ad personas secundum propria sed quatenus subsistunt in eadem natura divina quemadmodum orationes ecclesiae quamvis dirigantur ad Patrem non tamen sic quae aliae excludantur personae invenitur etiam secunda conditio semper extreorum proportio eo quod persona satisfaciens erat divina ac proinde infinitae dignitatis quamvis operatio humana per quam satisfaciebat esset simpliciter finita et per hoc patet solutio ab objecta.

Circa solutionem, ad 1<sup>m</sup> dubium est an in Deo erga creature sit iustitia nam unius divinae personae ad alteram secundum intrinseca non potest esse iustitia eo quod non est aliqua communicatio nisi per modum naturae, iustitia vero circa voluntarias commutationes versatur quia vero non sit iustitia vero circa voluntarias commutationes versatur quia vero non sit iustitia Dei ad creature probatur quod non est in Deo ratio debiti iustitia autem reddit debitum ergo ad hoc respondeatur ex S. Thoma 1. p. q. 21 ar. 1 et ad 3. respondeatur ergo 1.<sup>a</sup> quia inter Deum et creature absolute loquendo non potest esse iustitia commutativa, nam nulla creatura potest praevenire Deo aliquid tribuendo neque pro acceptis potest ei reddere aequale ergo dicitur 2.<sup>o</sup> quia iustitia distributiva potest habere locum non secundum proprietatem sed secundum decentiam quamdam. 1<sup>m</sup>. patet quia nulli gradui creaturarum Deus est debitor sed universas libera voluntate suo ordine constituit. 2<sup>m</sup> vero patet quia supposito ordine

sapientiae decens fuit ut singulae creaturae suis qualitatibus praeditae conderentur. 3.<sup>o</sup> dicitur quia supposita divina gratia qua voluit cum hominibus pactum inire utraque iustitia proprie invenitur inter Deum et homines quamvis non secundum rigorem ut habeter Math. 20 conventione (75) autem facta cum operarios etc. Quia paterfamilias exiret gratia fuit quia autem redderet mercedem iustitiae licet non rigoris. Et similiter 2.<sup>a</sup> ad Tim. 2. reposita est mihi corona iustitiae.

### Ar. 3.— An iustitia sit virtus

Conclusio affirmativa.

Dubium est quare potius ex iustitia quam ex aliis virtutibus homines boni dicantur. Respondeatur quia iustitia perficit voluntatem ut patebit sequenti art. quae primum motivum est virium animae ac prainde rectificato superiori appetitu fere totus homo iustus merito potest dici et bonus, 2.<sup>o</sup> quia nulla virtus est necessaria ad eo, ad fovernmentum hominum societatem omnes enim leges ad constituantem aequalitatem inter homines ordinatur quam sua sponte servat iustitia et ideo qui iustitia habet merito in ordiné ad exteriorem rem publicam bonus reputatur quod cum ita sit merito dubitandum est quare illi qui iustitiae actus frequenter exercent iustitia actus ut institores et mercatores non censemur ut plurimum viri boni. Respondeatur quia ejusmodi officia quamvis secundum se licita sint tamen ex pravitate abutentium ad lucrum potius quam ad decorum ordinantur et ideo iure potius censemur avari quod boni non ex fine artis sed artificum. 2.<sup>o</sup> dicitur quia hujusmodi homines ex eo quod temporalibus maxime explicantur ab his desistunt quae maxime sunt homini secundum rationem necessaria et utilia propter quod merito parvi afirmantur. 3.<sup>o</sup> dicitur intra genus alicujus virtutis alioqui preclare quaedam operationes sunt minime in

quibus qui exercentur vel nulla vel exigua laude sunt digni sicut accidit his qui statuto pretio res vendunt quemadmodum religio praeclarissima quidem est virtus circa cuius actus minimos quaedam officia versantur, ut sacristae propter quod minorem laudem habent quam qui ciroa maiora opera et si non frequenter ocurrentiae versantur. In solutione ad 1, notandum quo homo respectu Dei dicitur servus inutilis non solum quia nostris obsequiis nihil accedit divinae majestati quam bonorum nostrorum non indiget alioqui non solum qui implet praecepta verum qui exequaeretur omnia consilia censeretur inutilis, sed propterea quia opera praeceptorum debentur illi de iustitia et quodammodo sua sunt ex eo autem quod tu reddis alteri rem sibi de iustitia debitam nullam confers utilitatatem secus dicitur esse de operibus supererogationis, occasione cuius et 2<sup>o</sup> argumenti dubium est an opus quod fit ex praecepto sit magis meritorium quam quod fit ex consilio et videtur quod non, nam per opera supererogationis quodammodo sumus utiles servi si solum implémus praecepta sumus inutiles ergo gratiore sumus per opus supererogationis. In contrarium est quae opera quae fiunt ex voto sunt magis meritoria quam quae fiunt libero animo ergo eadem est ratio de praeceptis, ergo.

Respondetur 1.<sup>o</sup> quod si consideretur idem opus secundum substantiam magis meritorium est quando fit ex praecepto, v. g. si quis hodie ieunet crastina die magis meritorium est ieunium praeceptum quam voluntarium et ratio est quia in executione praecepti subiectio ad legem positam habet obedientiae laudem quae non invenitur regulariter in operibus voluntariis, et hoc probat 2<sup>m</sup> arg<sup>m</sup>. 2.<sup>o</sup> dicitur quia quando in opere praecepto aliquis superaddit praeter id quod in lege constituitur citra controversiam magis meretur quam qui solam praecepti mensuram reddit quemadmodum si quis die ieunii praeter communie ieunium adderet abstinentiam a viro et ratione hujus prædicatio Apostoli Pauli fuit magis meritoria quam alio-

rum Apostolorum omnibus enim praeceptum erat evangelizandi huic autem operi Paulus addidit quam necessaria sibi proprio labore quaerebat ut sine sumptu poneret evangelium et sic omnia consonant.

Circa solutionem ad 3<sup>m</sup> notandum quod in exteriori opere puta in fabrica domus invenitur duplex officium alius artis quod versatur circa factibile cuius actus est transiens operatio finis constitutio ipsius rei, aliud officium est iustitiae quod versatur circa operationem illam quatenus est aequalis acceptae mercedi verum per se loquendo actio iustitiae est inmanens utpote perfectio agentis utitur autem transeunte sicut materia hoc S. Thomas ad 3 insinuat.

#### **Art. 4. An iustitia sit in voluntate ut in subjecto**

1.<sup>a</sup> conclusio, iustitia non est in ratione sed in appetitu. 2.<sup>a</sup> conclusio, iustitia non est in appetitu sensitivo sed in rationali qui dicitur voluntas.

Circa hunc art. not. quod in executione iusti operis puta in externa redditione debiti triplex difficultas invenitur. 1<sup>a</sup> in electione voluntatis qua statuimus suum ius cuique reddere. 2<sup>a</sup> est in appetitu sensitivo quando vel ex cupiditate pecuniae vel ex ira concepta adversus aliquem a iusta operatione detinemur. 3<sup>a</sup> difficultas accedit in ipsa enumeratione pecuniae quam exequimur per exteriora membra mediante potentia seu executiva dubium est ergo cum tres istae potentiae concurrant qua re iustitia potius dicitur esse in voluntate quia in aliis potentias ad cujus explicationem supponendum est quia cum virtus sit habitus voluntarius quo libere utimur ea potentia sola potest esse subjectum virtutis quae potest esse principium activum operis illius, idque per modum se moventis nam si operatur potentia solum quia movetur ab alio non indiget virtute nisi ea potentia quae quodammodo se movet et

aliam ex hoc fundamento sequitur 1º quod omnibus philosophis receptum iustitia nullo modo est in potentia motiva aut executiva probatur istae potentiae operantur ad motum appetitus absque ulla repugnantia ergo non indigent virtute. Antecedens patet experientia hoc quod dixit Philosophus 2. poli. consequentia probatur ex dictis, quia si appetitus movens fuerit praeditus virtute nulla difficulterit in executione. 2º dicitur quia iustitia non est necessaria in appetitu sensitivo quamvis contrarium quidam existiment inter quos est Buridanus 5. ethi. q. 1. probatur 1º, in illa potentia est necessaria virtus cuius actus per se concurrit ad talem operationem sed passio appetitus sensitivi non per se concurrit ad redditionem debiti sed per accidens ob indispositionem subjecti ergo non est necessaria virtus in appetitu sensitivo. 2º probatur quodcumque difficultas praevenit ex passione appetitus sufficienter tollitur per alias virtutes ad reddendum debitum ergo nulla virtus iustitiae est in appetitu necessaria.

Consequentia patet antecedens probatur ex dictis exemplis nam cupiditas pecuniae tollitur per liberalitatem (76) ira per mansuetudinem, etc. Unde observandum est quod quaelibet virtus per se tollit difficultatem proprie operationi coniunctam intrinsice proprio actui, difficultatem vero ex commixtione alienae materiae difficultatem tali conjunctam tollit officio alterius virtutis et ita de iustitia censendum est. Ex his sequitur 3º quia iustitia solum est in voluntate et patet a sufficienti divisione nam cum sit in aliqua potentia et non in intellectu vel appetitu inferiori apte constat debere esse in voluntate quia nulla superest qua possit esse subjectum virtutis. Item potissima difficultas in operatione iustitiae est in hoc quod appetitus inclinetur ad bonum alienum nam suapte natura propensius est in bonum proprium unde philosophus 5 ethi. cap. 1 ait quod quidam bene se habent in propriis qui tamen ad alterum virtute non utuntur respicere autem bonum absolute proprium est voluntatis nam sensitivus

appetitus non persequitur nisi determinatum bonum puta sensibile, ergo sola voluntas est subjectum iustitiae. 3.<sup>o</sup> confirmatur nam exequiae qualitatem inter duo extrema est rationalis appetitus hoc autem est officium iustitiae ergo iustitia est in voluntate quamvis enim vis quedam collativa sit in potentiss sensitivis quatenus a ratione moventur, tamen ipsa collatio proprium opus est rationis ac proinde hujus collationis executio proprie perfinet ad voluntatem quae proxime a ratione movetur.

### Art. 5, 6 et 7

In his tribus articulis agitur de distinctione generalis iustitiae a particulari circa quos est unicum dubium, an in eodem homine sint plures habitus vel virtutes iustitiae videtur quod non, quia circa materiam aliarum virtutum cardinalium sufficit unus habitus non est autem peculiaris ratio in iustitia ergo non sunt necessarii plures habitus circa iustitiam in contrarium est quia Arist. post iustitiam generalem cuius dignitatem expressit 5. Ethic. cap. 1. subiicit statim in 2. cap. iustitiam quaedam esse particularem ergo ad hujus dubii explicationem ut certa prius constituamus 1.<sup>o</sup> not. quod iustitia tripliciter accipitur. 1.<sup>o</sup> universaliter pro ea rectitudine moralis secundum quam homines iusti dicuntur et boni quae acceptio ut mittamus profanos auctores in sacra scriptura est frequen-tissima cum enim iusti dicuntur non est intelligendum de illis qui solum circa redditionem debiti exercentur sed de his qui observant omnia secundum divinam legem de-decreta sic parentes Baptistae iustificantur Lucae 1. sic accipitur iustitia Ezechielis 18. iustitia iusti super eum erit et quodcumque pactum huic iustitiae contrarium est sic etiam accipit Math. 5. beati qui esuriunt et sitiunt ius-titiam et qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Iuxta hunc modum peccator dicitur iustificari cum ex

impio suscipitur in Dei amicitiam secundum hanc acceptationem certum est quod iustitia non est unus habitus in eodem homine sed comprehendit universos quotquot rectificant animae potentias secundum esse morale et hinc sequitur quia quando definit concilium Tridentinum sessione 6 quod iustificantur homines et iusti dicuntur per iustitiam inherentem etiam illi qui habitus infussos admittunt non tenentur ponere aliquam qualitatem unam numero a qua formaliter iusti dicamur sed per gratiam et charitatem aliasque virtutes theologicas et morales quas nobis credimus a Deo infundi, habemus iustitiam illam inherentem per quam iusti dicimur ratio autem quare haec rectitudo moralis iustitia dicitur ea est quis per tallem rectitudinem iustissime legi Dei adequamur verum iusti et recti corde pro eodem in litteris sacris sumitur. Secundum hanc rationem iustitia nec particularem materiam nec particolare subjectum habet. 2.<sup>o</sup> accipitur iustitiam ut constituit aequalitatem in re alteri debita et si quidem ex parte extremi respicit commune bonum vocatur iustitia generalis propter materiae latitudinem ram cmine opus virtutis est ordinabile in commune bonum sicut pars in totum et quamquam leges de omnibus actibus disponunt propter commune bonum idcirco haec iustitia cultrix legum appellatur legalis, si autem ex parte extremi respiquit bonum privatum sicut unus civis attendit bonum alterius sic est 3.<sup>a</sup> acceptio iustitiae quae vocatur iustitia particularis inter quas est difficultas mota intelligenda.

2.<sup>o</sup> not quia sicut non sufficit quaecumque diversitas actuum secundum esse naturae ad distinguendas virtutes morales ita neque identitas erit satis ut ab eadem omnino virtute profiscantur. 1<sup>m</sup> patet quia sustinere et agredi actus sunt valde diversi in esse naturae sicut et timere et audere et tamen ab eadem virtute fortitudinis elicitor uterque. 2<sup>m</sup> patet quia conferre beneficium alias non debitum unus actus esse videtur secundum genus naturae tamen in genere moris a diversa virtute procedit aliquan-

do a liberalitate, aliquando a gralitudine aliquando a iustitia quae sunt diversae virtutes, est ergo regula diligenter observanda in omni materia morali ubicumque fuerit peculiaris ratio honesti et ea specialis difficultas quam per se non attendit alia virtus ibi necessarium erit ponere distinctam virtutem quare si circa bonum commune et circa debitum privatum utrumque horum acciderit manifestum erit haec virtutes speciem distingui.

Sit ergo 1.<sup>a</sup> conclusio in quolibet homine est necessaria quaedam iustitia legalis probatur quia necessarium est quod opera cujuscumque privati civis ordinent ad commune bonum quaelibet enim pars suapte natura propensa est in bonum commune at hoc est proprium etc.

At hoc est proprium officium iustitiae legalis ut constat ex fundamento 1.<sup>o</sup> verum colligimus quod hujus virtutis materia per omnes virtutes alias late difundit eoque cuiuslibet virtutis opus est ordinabile in communi bonum et quicumque servat legem disponentem de qualibet virtutis materia si hoc intendet ut debitum reddat reipublicae cuius est pars, exercet opus iustitiae legalis. Sed contra est qui pietas inclinat hominem ad reddendum debitum parentibus et patriae qui (77) autem bene se habet ad patriam optime reddit debitum reipublicae ergo ista iustitia legalis non est necessaria.

Respondetur quod pietas attendit debitum parentis et patriae sub ea ratione qua sunt principium ex quo sumus et conservamus. Iustitia vero legalis attendit rationem debiti quod est partis ad totum quae quidem rationes diversae sunt unde iustitia legalis potest habere locum in angelis non tamen pietas secundum propriam rationem eo quod non est origo unius ab altero.

2.<sup>a</sup> conclusio iustitia legalis generalis quidem est secundum virtutem non autem secundum essentiam. Duplum citer aliiquid dicitur generale vel secundum praedicationem ut animal vel secundum causalitatem ut coelum hanc 2<sup>m</sup> universalitatem tribuimus iustitiae verum quemadmo-

dum charitas respectu omnium virtutum infusarum habet vim quamdam motivam eoque singularium opera dirigit in Deum ultimum finem. Ita inter virtutes naturales iustitia legalis propter universalem finem quem attendit dirigit omnium actus in bonum commune et hac ratione generalis dicitur virtus. Rursus quicumque actus a charitate imperatus propter virtutem et morum quem ab ea suscipit dicitur actus charitatis et ipsa etiam charitas nomina usurpat inferiorum virtutum ut patet 1<sup>ae</sup> ad Cor. 13. Charitas patiens est, benigna est. Sic actus imperati a iustitia legalis quamquam immediati ab alia virtute eliciantur dicuntur iustitia legalis et ipsa iustitia propter latitudinem imperii dicitur omnis virtus a Philosopho 5. eth. cap. 1.

3.<sup>a</sup> conclusio iustitia haec principaliter residet in principe, secundario in reliquis qui privatam vitam ducunt. Nam ut S. Thomas 5.<sup>a</sup> docuit q. 47. ar. 11 prudentia quae-dam architectonica necessaria est gubernatori distincta a monastica quae singulis civibus est necessaria ita iustitia legalis principaliter est necessaria principi, nam illi per se imposita est solicitando curandi bonum commune ad quod potissimum iustitia legalis est intenta in aliis vero est secundario quatenus vel sunt administrari gubernatoris ad promovendum commune bonum vel quatenus suas privatas operationes dirigunt ad multitudinis utilitatem et com-modum.

4.<sup>a</sup> conclusio iustitia legalis secundum speciem distincta virtus est a iustitia particulari verum in eodem homine sunt diversi habitus iustitiae sicut charitas distinguitur a iustitia, hanc conclusionem potissimum intendit in 7 art. cellegitque ex philosopho 5. eth. cap. 1. et 2. quamquam alii potissimum ex modernis aliter senserint dixisse philosophum aut intellegisse sed sive hoc sive aliud senserit sententia S. Thomas multum probabilis est et illi textui valde consentanea et 1.<sup>o</sup> suaderi potest ex illa diversitate prudentiae quae certissime invenitur in philosopho 6. eth. est diversa prudentia quae disponit media ad commu-

ne bonum et quae disponit media ad privatum ergo est diversa iustitia quae exequitur. Unum ab ea quae exequitur aliud, 2.<sup>a</sup> ratio potissima est ubicumque invenitur specialis ratio difficultatis et honesti ibi est necessaria specialis virtus hoc probatur ex 2.<sup>o</sup> fundamento sed in procurando bono communi et bono privato invenitur utrumque ergo sunt virtutes diversae. Minor probatur quo addi difficultatem quia ut ait Aris. 5. eth. cap. 1. multi verum se habent circa propria qui non utuntur virtutem in his quae sunt ad alterum ita circa privata; unde se habent qui non ad rempublicam multi. Et ad hoc propositum adducitur ibidem dictum (*tantis?*) quia magistratus indicat de homine. 2<sup>ma</sup> probatur autoritatem ejusdem Aristoteles 3. polit. cap. 3. ubi ait quod alia est virtus boni viri et alia boni civis et tamen virtus boni civis est bene se habere in ordine ad rempublicam cuius est pars, invenitur ergo peculiaris ratio honesti in promovendo communi bono. Contra hanc veritatem arguitur nam ad imperandum actus aliarum virtutum non est necessaria virtus peculiaris quia potius ponitur virtus ad eligendum sed iustitia opus legalis est imperare quia non est distincta virtus.

Respondetur quia sicut charitas habet duplices actus ita et legalis iustitia. 1.<sup>o</sup> charitas elicit actum dilectionis erga Deum qui est proprium objectum illius deinde in hunc finem dirigit actus reliquarum virtutum ad hunc modum iustitia legalis habet proprium actum electionis circa bonum commune quando enim princeps fert legem utilem reipublicae aut imponit necessarium tributum omnibus isti actus proprie ad legalem iustitiam pertinent praeter hos autem et similes haec eadem virtus dirigit particulares operationes in bonum communem unde patet quia non solum habet imperare verum etiam eligere.

Ad argumentum initio factum respondetur diversam esse rationem aliae siquidem morales virtutes perficiunt hominem in se ipso iustitia vero praeficit in ordinem ad alterum et ideo ubi respectu alterius est diversa ratio

debiti necessarium est virtutem iustitiae multiplicari quod non accidit in virtutibus quae moderantur passiones cum eadem ratio honesti sit semper et ubique.

**Art. 8. An particularis iustitia habeat specialem materiam**

Conclusio iustitia particularis versatur circa res et operationes externas quae sunt ad alterum et ita habet particularem materiam.

Est dubium quomodo iustitia dicitur rectificare res exteriores. Respondeatur et not. quod sicut artis materiam est illud in quod ars suam formam et perfectionem inducit et iuxta diversitatem formarum quas artes inducunt inveniuntur etiam diversae materiae nam materia propter formam est instituta et in naturalibus et artificiatis ad hunc modum illud est materia virtutis in quod bonum rationis constituitur. Et secundum diversam rationem honestatis sic considerantur materiae virtutum diversae iustitia ergo constituit rectitudinem aequalitatis ac proinde illud est propria materia hujus virtutis quod est commensurabile in ordine ad alterum cuiusmodi sunt res exteriores in quibus homines invicem communicant et exteriores actiones quibus mediantibus utuntur non tamen sic est intelligendum quasi res et operationes sint disparata objecta vel diversae materiae nam res commutables sunt materia remota circa quam operamur operationes vero sunt materia prima in qua ponitur rectitudo quemadmodum pericula mortis et timor non sunt diversa objecta respectu fortitudinis unde sequitur quod rectitudo aequalitatis in ratione quidem est sicut in regula in electione voluntatis sicut in primo principio exequente in rebus exterioribus sicut in materia participante in operationibus autem ut in quibus rectitudo constituitur quia mediante externa operatione res istae proportion-

nantur proximo sed est notandum quod cum forma quam inducit iustitia legalis sit universalior nempe legum custodia propter conservationem boni communis (78) ita ejus materia latior est nam cujuscumque virtutis opus qua ratione debitum est ad commune bonum est materia iustitia legalis qua propter haec iustitia tam versatur circa passiones quam circa operationes quia tamen de iustitia particulari negat S. Thomas in conclusione art. 9.

Est notandum circa solutionem ad 1. art. 9. quia nulla virtus moralis principaliter versatur circa delectationes et tristitias quamquam secundario versetur circa hujusmodi affectus hujus ratio est quia delectatio et tristitia consequuntur quidem actus virtutum eo quod habenti virtutis habitum veluti connaturalis est operatio studiosa ac proinde ipsi delectabilis quemadmodum eas operationes quae sunt naturae consentaneae naturalis, delectatio consequitur propter quod virtutes in praecipuis operationibus versatur. Circa delectationes consequentes si tamen loquamur de delectationibus et tristitiis quatenus inde sumimus arg<sup>m</sup> ad iudicandum de actu vel habitu alterius sic praecipue debemus attendere ad delectationem ad tristitiam quam alium percipere cernimus ut inde conjiciamus quo habitu praeditus sit et sic intelligendus Aris. 7. eth. cap. 11 quem adducit S. Thomas ad 1.

#### **Ar. 10. An medium iustitiae sit medium rei**

Conclusio affirmativa.

In hoc art. est considerandum quod inter iustitia ex una parte aliasque morales virtutes ex altera quantum ad rationem mediis convenientia est in hoc quo omnes consistunt in medio videlicet inter superfluum et diminutum ex quibus extrema vitia resultat propterea medium in omnibus a ratione prestituitur neque enim minus est necessaria prudentia ad iustas operationes quam ad actus

aliarum virtutum est autem officium prudentia medium omnibus praestituere atque adeo haec duo in definitione virtutis ponuntur quam habetur 2. eth. cap. 6. quae apta est declarati S. Thomas ad 1<sup>m</sup> in hoc art. Item etiam in objectis et actibus aliarum virtutum quae passiones moderantur invenitur etiam quodam superfluum et diminutum secundum communes regulas ut respectu temperantiae diminutum est comedere granum frumenti secundum se comedere bobem superfluum regulariter et ita in aliis sita est ergo differentia in hoc quod medium iustitiae in particulari determinatum est a parte rei absque respectu operantis puta quo iustum pretium a lege definitum solvatur id quod respectu diversarum personarum non variatur tanti enim debet emere rem iustus sicut peccator et pauper sicut dives. Item diversa operantis dispositio nihil adimit de medio iustitiae qui enim de pretio convenit cum altera sive incidat in oegritudinem sive convalescat sive sit justus sive peccator. Tandem reddere tenetur quod si iustitia considerat qualitatem personarum vel quae operatur vel in quam operatio dirigitur, illud est quatenus ex his adaugetur quantitas rei ut si servus percutiat dominum suum atendittur qualitas personarum quia ex his a parte rei resultat maior iniuria. In reliquis autem virtutibus totum accedit oppositum, nam non est omnibus eadem quantitas panis medium abstinentiae sed quidam indigent maiori nutrimento alii minori, item idem suppositum secundum variam dispositionem debet plus et minus accipere quorum omnium est una ratio quam in his per ordinem ad operantem, ratio constituit medium quo fit ut istae virtutes attendant quantitatem et qualitatem rerum ipsarum in ordine ad dispositionem operantis nam certum ex quo ex fortissimo vino minor quantitas est sumenda quod ex leviori idem de civis succulentis minor quantitas est sumenda. Hinc 2. differentia colligitur quod medium iustitiae ex rerum ipsarum mutatione variatur non autem medium aliarum virtutum nam quando tempus est mali-

gnum et frugum laboratum inopia iustum est quod frumenti mensura novem argenteis vendatur tempore autem ubertatis esset iniquum at vero per se loquendo non est a viro temperato sumenda maior quantitas tempore ubertatis quod sterilitatis ultra modum et haec differentia ex eodem capite oritur quia ratio determinat quod medium iustitiae sit aequalitas ipsa rerum in aliis autem virtutibus determinanda est ab ipsa ratione secundum quod pro loco et tempore cognovit operanti.

### **Ar. 11. An actus iustitiae sit reddere unicuique suum**

Conclusio actus iustitiae est reddere unicuique quod suum est. Contra hanc conclusionem arguitur frequenter quod omnes actos iustitiae supponeret inaequalitatem esse factam nunquam enim proprie redditur alicui aliquid nisi quod est ablatum consecuens autem est falsum quid alias omne opus est iustitiae restitutio. 2.º qui patitur poenam iuste illatam non reddit alicui suum potius patitur quod agat tamen iustus est ergo. 3.º quando princeps exigit tributa iuste operatur et tamen potius videtur accipere aliena quam reddere sua, ergo non est opus iustitiae reddere unicuique suum. Ad hoc responditur quod actus ille reddere suum universaliter accipiens est pro iusta operatione in genere ut ad omnes iustitiae actus possit diffundi ita quod reddere suum idem sit quod constituere aequalitatem ad alterum quare non semper suponitur facta inaequalitas ante iustitiae operatione sed praetelligitur facta vel futura nisi per iustum operationem defectus suppletatur unde qui distribuit pro dignitate beneficia reddit unicuique suum non quod actu habebat sed quod erat habiturus et isto modo suppletur inaequalitas nondum facta sed quod alias erat futura.

Ad 2. respondetur quod qui sustinet poenam iuste

illatam quamvis corpore patiatur animo tamen in quo est virtus vere agit dum per illam poenam satisfacere vult vel parti lesae aut etiam ipsi reipublicae et hoc modo reddit illi quoad suum est, nam peccando plus aequo indulserat sibi alteri minus quae inaequalitas per illatam poenam resarcitur.

Ad 3. respondetur quod quando iusta subest necessitas vel principi vel reipublicae ad communem utilitatem ius habet sumendi particularium civium bona quemadmodum omnis pars suapte natura ordinantur ad bonum totius tunc ergo licet accipiat alienum secundum actualem possessionem reddit tamen reipublicae suum secundum ius quod habebat unde constat quod domini temporales qui ob privatam libidinem subditorum bona diripiunt magis sunt iniusti quam si privatus concivem expoliaret iusta quod Augustinus ait vulgatum ab illo proverbium tolle iustitiam quid sunt regna nisi magna latrocinia.

### **Art. 12. An iustitia sit maxima virtutum moralium**

1.<sup>a</sup> conclusio iustitia legalis omnibus aliis virtutibus moralibus est eminentior. Justitia particularis etiam est praestantior reliquis moralibus. In hoc art. quaedam veluti certa supponenda sunt alia in litem revocanda. 1.<sup>o</sup> supponendum est quod in praesenti nulla est q. de comparatione hujus virtutis ad theologicos nam ille genere distinguitur a naturalibus et sine disceptatione (79) praecellunt nam intimius et altiori modo attingunt ipsum Deum meliusque disponunt hominem ad ultimatum finem obtinendum in quo humanae virtutis ratio consistit.

2.<sup>o</sup> supponendum est etiam quod haec comparatio non tangit intellectuales virtutes neque vero cardinales universas et 1<sup>m</sup> patet quod morales virtutes ab intellectuibus genere distinguntur item quia S. Thomas praetulit iustitia ex nobilitate subjecti, certum est autem apud

eum 1. p. q. 82. ar. 3. quod intellectus est altior potentia quam voluntas ergo sua praeeminentia virtutibus intelectualibus relinquitur propter quod inter quattuor virtutes cardinales prudentia tenet primum locum quae etiam intelectualibus commumeratur.

3.<sup>o</sup> supponendum est quod haec comparatio est inter virtutes morales quatenus ab hominibus haberi, possunt, non autem de perfectione quam ipsa virtus exigit vel supponit in subjecto proprio. Et ex hoc solvitur difficultas quae apparent in praesenti loco si conferatur ad sententiam habitam supra q. 30., ar. 4. ubi misericordia secundum se omnibus virtutibus est praelata is enim locus intelligendus est de perfectione quam haec virtus secum adducit nam sublevare quamcumque miseriam ab omnibus quod est iustitiae officium supponit omnimodam perfectionem excluditque omnem indigentiam a proprio subjecto propter quod exigit actum purum secundum propriam rationem quod in aliis virtutibus non invenitur hic autem sermo de virtutibus moralibus quae ab hominibus adquiri possunt inter quas melior est iustitia quam misericordia nostra.

4.<sup>o</sup> supponendum est quod etiam si iustitia definiatur praeferenda aliis moralibus omnibus non subinde tamen praeferendum est quodlibet opus iustitiae cuilibet operi aliarum id enim non solum philosophiae sed communis sensui repugnat nempe quod opus iuste vendentis olera vel pro mercede laborantis praeferatur jejunio religiosi et tamen hoc opus est abstinentiae illud vero iustitiae comparatio igitur generis ad genus vel optimi actus unius generis ad optimum alterius est faciendum. In dubium ergo revocatur an absolute loquendo iustitia sit potissima omnium moralium ratio dubitandi est in partem negativam quia S. Thomas solum videtur conferre hanc virtutem cum illis quae sunt in appetitu inferiori sed in voluntate ipsa est obedientia est humilitatis quae sunt virtutis maxime ergo illis non praeferatur iustitia. In contrarium est quod

alias esset exiguae laus iustitiae si solum preferretur virtutibus appetitus respondetur, ergo et sit.

1.<sup>a</sup> propositio iustitia legalis omnibus virtutibus moralibus absque dubio est praferenda probatur 1.<sup>o</sup> ex ratione formalí quam attendit nempe ex communi bono quod resipicit conservandum et promovendum haec autem ratio nobilior est quam id in quod aliae virtutes ordinatur. ergo. 2.<sup>o</sup> iustitia legalis ad reliquias morales comparatur sicut motivum ad mobilia et sicut imperans ad subiecta ut patet ex his que dicta sunt, at motivum est praestantius mobili et imperes his quibus imperium infertur ergo hoc autem non solum intellegendum est virtutibus genere diversis verum etiam de ipsis iustitiae partibus quantum ius excellentibus ita quod iustitia legalis est excellentior religione nam actus ejus potest ordinare in communi bonum et comparatur ad eam sicut universale ad particulare. Item est excellentior obedientia ut colligitur ex q. 104 ar. 3. nam obedientia removet impedimentum prave voluntatis ne legi Dei subdamur iustitia haec generalis et ipsa lege condit et legibus subdit unde obedientia ad eam ordinatur est quoque humilitate praestantior ut docet S. Thomas q. ar. 5 unde in hoc non est deceptatio in doctrina S. Thomas quod iustitia praestet aliis.

2.<sup>a</sup> propositio inter particulares virtutes quae ad iustitiam pertinent religio tenet principale locum sententiam est S. Thomae q. 81 ar. 6. et hoc probatur quia finis religionis proxime accedit ad objectum theologicarum virtutum nam exhibet Deo cultum et internū et externū at theologicae virtutes tenent summum gradum ergo religio quae illis maxime accedit inter particulares virtutes erit optima. Item probatur inter decalogi p̄aecepta quae dicuntur esse primae tabulae pertinet ad religionem ut patet intuenti in decalogo autem iuxta dignitatem p̄aecepta constituuntur ergo religio inter virtutes particulares tenet principem locum. Et hinc constat quod ad religionem proxime accedit pietas de qua statim. 4.<sup>o</sup> p̄aecepto

decernitur, est etiam religio praestantior obedientia ut Caietanus ait q. 104 ubi nam religio subdit hominem humanas ipsi Deo obedientia reveretur praecpta ipsis Dei. Item praestantior est humillitate ut idem auctor Caietanus q. ibidem ubi 5.<sup>a</sup> insinuat ultimo dubio. Nam humillitas videtur impedimenta tollere et hominem subdere divinae excellentiae sed religio non solum subdit mentem humanaum verum etiam offert ipsam quod dignius esse videtur.

3.<sup>a</sup> propositio iustitia particularis praefertur omnibus virtutibus quae moderantur passiones non autem obedientia aut humilitati. 1.<sup>a</sup> pars probatur virtutes quae moderantur passiones disponunt hominem et perficiunt in se ipso rectificant enim supremum appetitum et etiam perficit in ordine ad alterum ergo. Item iustitia particularis maxime accedit iustitiam legalem sed iustitia legalis est suprema ergo. Maior probatur quia bonum commune in quod iustitia legalis intenedit optime conservatur. Si unaquaeque pars bene se habeat ad alteram ut enim dicitur proverbiorum 18. iudicia quasi vectes urbium 2.<sup>a</sup> pars ex eo probatur quod obedientia et pars est iustitiae quia reddit debitum superiori et generalitatem quamdam habet ad nutritandas et fovendas alias virtutes omnes qui enim est obediens circa omnem materiam virtutum exercetur et propter hoc prefertur iustitiae particulari. Idem sentio de humilitate nam humillitas non solum cum aequalibus bene se habet verum et inferioribus se subjicit in qua animi deiectione ferme omnis operatio iustitiae continetur propter quod proprius Math. 3. cum se offeret Joanni baptizandum ait sic decet nos implere omnem iustitiam ex his patet ad argumeta quod iustitia secundum totam rationem et universalem non solum praefertur virtutibus appetitus inferioris verum etiam multis aliis quae sunt in voluntate.

### **q. 59. De Injustitia.**

Circa totam q. quae complectitur 4. argumentos est

unicum dubium an omnis iniustitia sit peccatum mortale videtur quod non. 1.<sup>o</sup> omne peccatum est iniustitia sicut et iniquitas dicitur 1<sup>ea</sup> Joannis 3, at constat quod non omnem peccatum est mortale et oppositum est haeresis Luteranorum ergo non omnis iniustitia est peccatum mortale (80). 2.<sup>o</sup> quicumque facit iniustum iniustus est, et iniustitia committi sicut qui facit opus intemperatum est intemperatus, et tamen contingit quod aliquis faciat iniustum et non peccet ut si non advertat ergo non omnis iniustitia est peccatum mortale. 3.<sup>o</sup> arguitur quando aliquis patitur iniustum nolens ex partis agentis videtur esse iniustitia et tamen illa non est peccatum mortale quia non fit iniuria volenti ergo. 4.<sup>o</sup> furtum parvae materiae puta trientis vere et proprie et iniustitia et tamen non est mortale peccatum.

In contrarium est quod iniustitiam est vitium charitatis contrarium ergo omnis iniustitia est mortalis utpote charitate contraria respondetur et sit.

1.<sup>a</sup> propositio non solum iniustitia particularis est speciale peccatum verum et illegalis iniustitia aliquando tamen coincidit cum aliis. Supponendum est in praesenti quod iustitia et iniustitia opponuntur contrarie et non solum privative propter quod et versatur circa idem objectum quamvis contraria ratione et quod modis dicitur unum accipiendum est et reliquum est ergo duplex iniustitia sicut duplice iustitiam ostendimus. 1.<sup>a</sup> pars propositionis probatur furtum et usura sunt specialia peccata et tamen non habent alia speciem quam iustitiae particularis ergo. 2.<sup>a</sup> pars probatur si quis proderet civitatem animo perendi rempublicam est speciale peccatum similiter si eo animo princeps ferat iniquas leges ista vero peccata directe contrariantur iustitia legali ergo iniustitia illegalis est speciale peccatum 3.<sup>a</sup> pars probatur si aliquis violet iuramentum factum ad servandam fidem reipublicae iniustitia miscetur. Periurio similiter si occidat ducem strenuum in bello ut tradat hostibus exercitum ibi iniustitia illegalis coniungitur. Particulari ergo sepa coincidit cum aliis, sed

est notandum quod quando quis privata libidine committit aliquid peccatum nihil tamem cogitans vel intendens contra commune bonum puta si occidat privatum inimicum erit quidem reus homicidii sed non committitur iniustitia illegalis nisi tamen materialiter quia omne privatum incommodum cedit in commune malum ac proinde solum est reus unius peccati quemadmodum si aliquis ex contemptu Dei praeipientis fragat praeceptum legis, puta, furentur, is reus est duplicitis peccati et inobedientiae et furti at si solum affectu rei alienae accipiat solum est inobediens materialiter et reum unius criminis ita omne peccatum in ordine ad Deum potest iniustitia dici, et in ordine ad rem publicam iniustitia vel formaliter vel materialiter et ex hoc patebit solutio ad 1. argumentum neganda enim est autem potius distinguenda.

2.<sup>a</sup> propositio non quicunque facit iniustum opus censendus est iniustus, sententia est Arist. 5 lib. eth. cap. 6. ad cuius explicationem notandum quod apud philosophos non denominatur aliquis vitiosus vel in genere vel in specie propter unum actum vitii a se comissi sed tunc quando ex habitu inclinante per modum naturae quis operatur constat autem quod per unum actum regulariter non generatur sufficiens habitus inclinans ad similia quo fit ut nemo repente summus fiat neque in bonis neque in malis unde eodem lib. cap. 4. arguit contra eos qui opinatur quod potest iustus subito facere iniustum sicut iniusti faciun non enim potest subito de connaturali inclinatione transferre in contrarium, hoc enim proprium est illorum qui transierunt in affectum cordis de quibus dicitur Jeremias 6. Sicut frigidam facit cisterna aquam, etc. Ceterum in Christiana philosophia sufficit unum opus iniustum ut quis proprie et absolute dicatur peccator et iniustus ut patet Ezequielis 18. quacumque die iustus a iustitia sua averterit, etc. Et Jacobi cap. 1. qui totam legem servaverit offenderit autem in uno factus est omnium reus 1. ita censendus est reus et peccator et si totam le-

gem violasset et hoc quidem commune est apud philosophos in aliis vitiis quemadmodum et in iniustitia 2<sup>m</sup> autem est peculiare in hoc vitio quod potest aliquis committere iniustum formaliter ex parte effectus qui tamen non sit iniustus neque secundum habitum neque secundum actum et ratio hujus est quod iustum et iniustum formaliter inveniuntur in rebus ipsis sine comparatione ad operantem et ideo ex ignorantia ex violentia potest aliquando facere quis iniustum quia tollitur aequalitas non tamen dicetur iniustus quia inculpabilis est quod in reliquis virtutibus et vitiis oppositis non invenitur. Sed contra certum est quod Lot ex ignorantia fecit opus intemperatum accedens ad filias et similiter Noe bibens vinum ex quo succedit ebrietas et tamen neuter fuit intemperatus ergo non est differentia quantum ad hoc inter iniustitiam et intemperantiam. Ad hoc responditur quod quantum attinet ad culpae reatum eadem est ratio utroque nam inculpabilis ignorantia facti in omni materia excusat tamen quantum ad modum loquendi magna differentia est fundatur autem in diversa natura harum virtutum ut enim aliquis dicatur facere injustum satis est quod ex ejus operatione relinquatur unequalitas rerum at vero intemperatum opus numquam dicitur nisi respectu operantis nam intemperatum est quando ultra modum quis cedit voluptati quod sine crimine operantis accidere non potest sicut accidebat respectu iniusti quare ad 2. argumentum 5.<sup>ae</sup>? positum negandi est similitudo maioris.

3.<sup>a</sup> conclusio nemo potest facere iustum nisi volens neque iniustum pati nisi nolens utraque pars intelligenda est formaliter ne videatur contradicere supradictis, de eo qui formaliter agit aut patitur iniustitiam hic fundamentum iniuriae constituuntur nempe involuntarium unde regula juris sumpta est quae ponitur lib. 6.

Scienti et consentienti non fit iniuria neque dolus ad explicationem tria sunt notanda. 1<sup>m</sup> quod involuntariu-

ita est necessario presuppositum ad iniuriam ut tamen illud non sufficiat nisi aliquis addatur. Praeterea nempe quod sit contra rationabilem patientis voluntatem nam qui a legitimo iudice ponitur quamquam involuntarie patiatur non patitur iniustum neque iniuriam accipit eo quod non est rationabilis voluntas quae non vult subdi superiori propter quam causam qui multam pecuniam exponit aliae aut aliis contractibus quidam non et lucro sunt obnoxii quamvis involuntarius perdat non patitur iniustum nam etsi rationabiliter dolere possit de privato damno non tamen de eo quod alias utatur sua forte et ideo nullus locus iniuriae relinquitur. 2<sup>m</sup> est quod deliberata patientis voluntas tollit iniustum in his tamen rebus quarum habet plenarium dominium alias si voluntarie patitur et superest alia voluntate quae rationabilius repugnet poterit esse iniustum et iniuriae locus putatur ut si procurator comunitatis patitur sponte res communes auferri aut depositarius rem sibi creditam iniuria.